

INTIMATIO

PER CURSORES FACIENDA DOMI QUOQUE DIMISSO EXEMPLARI



Feria II^a, die 8 novembris 1920, hora **decima cum dimidio**, in Sacello Sixti IV Palatii Apostolici Vaticani, habebitur Cappella Papalis, in qua fient solemnes exsequiae pro animabus S. R. E. Cardinalium defunctorum: FELICIS DE HARTMANN, tit. s. Marcelli, archiep. Colonien. (d. 11 novembris 1919); IOSEPHI MARIAE COS Y MACHO, tit. s. Mariae de Populo, archiep. Vallisoletan. (d. 16 decembris 1919); ARISTIDIS RINALDINI, tit. s. Pancratii (d. 10 februarii 1920); PHILIPPI GIUSTINI, diac. s. Angeli in Foro piscario (d. 17 martii 1920); IULII BOSCHI, episc. Tusculan. (d. 15 maii 1920); LEONIS ADULPHI AMETTE, tit. s. Sabinae, archiep. Parisien. (d. 29 augusti 1920); VICTORIANI GUIASOLA Y MENENDEZ, tit. ss. Quatuor Coronatorum, archiep. Toletan. (d. 3 septembris 1920). Missam cantabit Eñus et Rñus Dñus Cardinalis Caietanus De Lai, Episcopus Sabinen., qua expleta, Ssm̃us Dominus noster BENEDICTUS Papa XV super tumulum Absolutionem faciet.

Intimentur omnes et singuli Eñi et Rñi DD. Cardinales, qui, *vestibus violaceis sericis*, cum *calceis nigris* et *galero* usuali *rubro*, et rochetto induti, ad Aulam paramentorum accedent, ubi cappam violaceam sericam *sine pellibus* assument, ac deinde ad Sacellum Sixtinum se conferent, ibique Summi Pontificis adventum exspectabunt.

Rño Domino

Dño

Cappellani Caudatarii consuetas croceas assument supra vestes violaceas.

Intimentur quoque Rm̄i Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, tam assistentes quam non assistentes; Princeps Solii, Auditor Generalis Rev. Cam. Apost., Antistes Pontificiae Domui Praepositus, Magnus Magister Sacri Hospitii, Protonotariū Apostolici, Generales Ordinum Regularium, Auditores Sacrae Romanae Rotae, Clerici Rev. Cam. Apost., Votantes Signaturae, Advocati Consistoriales, Procuratores tam Ordinum Regularium quam Sacri Palatii Apostolici, necnon Cubiculariū, Cappellani et Officiales, ceterique intimari soliti, qui ad praedictum Sacellum Sixtinum accedent. Ex his, qui cappis induti interesse debent, eas *sine pellibus* supra consuetas vestes assument in conclavi a dextris Paulini Sacelli.

Decanus collegii Votantium Signaturae quatuor e suis Collegis moneat, qui, circa finem Missae, ad Caeremoniarū nutum, Sacrarium petant, ibique, depositis cappis, superpelliceum supra rochetum induant, ut praesto sint ad inserviendum Summo Pontifici in Acolythorum officio, pro Absolutionis ritu.

Meminerint omnes, silentium in Cappella servandum esse, etiam ante adventum Summi Pontificis.

De Mandato SSm̄i D. N. Papae

CAROLUS RESPIGHI

PROTON. APOST., CAEREM. PRAEFECTUS.